

mitatem non attingit. Itaq; agnoscimus eam esse vel *minimam* vel *maximam*. *Minima* dicitur Analogica Identitas, estq; ea Conventientia rerum in Uno vel attributione vel saltem similitudine. Habet enim hic locum utraque Analogia Attributionis non tantum, sed & proportionis; nec tantum Substantia & Accidens propter participationem ab Ente, licet gradu longè dispari, dicuntur Eadem; Sed & homo pictus & vivus propter similitudinem quam inter se habent. *Maxima* verò est & dicitur Numerica, quæ tribuitur iisdem Numero subjectis seu Extremis, sub distinctio vel tempore, vel aliquo alio schemate consideratis. Vocatur hæc etiam Singularis. Idem enim Numero Singulare esse constat ex *Aristot. lib. 1. Top. c. 6*; & post eum ex *Alexand. Aphrod. in cap. 6. lib. 1. Top. & cap. 1. lib. VII. Top.*

IX. *Media* autem, sic dicta respectu Extremorum, tum minimæ, supra quam paulò altiùs assurgit; tum maximæ, cujus perfectionem non attingit, ulterius subdividi potest vel respectu alicujus latioris in Genericam & Specificam, quæ vocantur etiam Identitates universales & meritò, juxta *B. Jacob. Mart. in Exerc. Metaph. lib. 1. tb. 4.* vel respectu cujusdam angustioris in causalem & effectivam. *Generica* est inter extrema de aliquo communi genere Univoco, sive summo, sive intermedio participantia. *Specificam* inter ea quæ speciem aliquam æqualiter communem habent.

X. *Causalis* Identitas est Entium communem causam vel unam vel plures habentium. Sunt enim quæ internas causas Materiam & Formam habent easdem, sed ab Efficientibus vel genere vel specie, vel numero saltem diversis producta; Sunt quæ ab eadē causa producta Materiam & Formam agnoscunt diversissimam; Sunt quæ in his omnibus convenientes ad diversos fines ordinati sunt & tendunt. Materia autem, quoniam est triplex vel ex qua, vel in qua, vel circa quam, nova iterum ejus respectu oritur Identitatis divisio, in Identitatem materiale in specie sic dictam, Objectivam & Subjectivam. Prima est eorum quæ ex eadem constant Materia; Altera quæ in eodem subjecto conveniunt. Ultima quæ circa idem objectum occupantur. *Effectiva* verò Identitas est, quâ plura Entia ad effectum aliquem producendum occupantur, dicuntur aliàs causæ sociæ.

XI. Su-